

lucis illam omnis populus diebus se-  
pre. In omni autē spacio vite eius  
nō fuit qui perturbaret israel. 7 post mor-  
tem eius annis multis. Dies autē vi-  
ctorie huius festiuitatis ab hebreis in  
numero sanctorū dierū accipitur et coli-  
tur a iudeis ex illo tpe vsq; i pñtez diē.  
Explicet liber Iudith

Incipit prologus in librum hester.

Ibrum hester varijs trans-  
latozibus constat esse vicia-  
tum quem ego de arcinīs he-  
breozum reuelans verbum  
e verbo expressius transtuli. Quē librū  
editio vulgata laciniosis hincinde ver-  
borum funibus trahit. addēs ea que ex  
tempore dici poterant 7 audiri sicut so-  
litum est scolarib; disciplinis sumpro-  
themate excogitare quibus verbis vti  
potuit qui iniuriam passus est vel ille q̄  
iniuriam fecit. Vos autem o paula et  
eustochium quoniā et bibliothecas he-  
breozum studuistis intrare et interpre-  
tatum certamina comprobastis: tenen-  
tes hester hebraicum librum per singu-  
la verba nostram translationem aspici-  
te: vt possitis agnoscere me. nihil etiā  
augmentasse addendo sed fideli testi-  
monio simpliciter sicut in hebreo habe-  
tur historiam hebraicam latine lingue  
tradidisse. Nec affectamus laudes ho-  
minum nec vituperationis expauesci-  
mus: deo enī placere curātes minas ho-  
minū penitus nō timemus. qm̄ deus  
dissipat offa eoz q̄ hominib; placere desi-  
derāt. et s̄m aplm̄ q̄ eiusmodi sunt ser-  
ui christi esse nō possunt. Rursum in li-  
bro hester alphabetus ex minio vsq; ad  
theta lēam fecimus diuersis in locis:  
volentes. s. septuaginta interpretū or-  
dinem p̄ hoc insinuari studioso lectori.  
Nos enim iuxta morem hebraicum or-  
dinem profsequi etiā in septuaginta e-  
ditione maluimus.

Explicet plogus Incipit lib hester: Ca. I.

12 diebus as

i  
sueri qui regnavit ab in-  
dia vsq; ethiopiā sup centū  
vigintiseptē puincias  
qñ sedit i solio regni sui: susa ciuitas re-  
gni eius exordiu fuit. Tertio igit anno  
imperij sui fecerat grande cōuiuū cun-  
ctis principibus et pueris suis fortissi-  
mis persarum et medozum indyctis et  
prefectis puinciarum coram se: vt ostē-  
deret diuitias glorie regni sui ac magni-  
tudinem atq; iactantiam potentie sue  
multo tempore: centū videlicet et octo-  
ginta diebus. Cūq; implerētur dies  
conuiuij inuitauit omnem populum q̄  
inuentus est in susis a maximo vsq; ad  
minimum. et iussit septem diebus cō-  
uiuium preparari in vestibulo horti et  
nemoris quod regio cultu et manu cō-  
ficum erat. Et pendebant ex omni pre-  
tentoria aerei coloris: carbassini ac hya-  
cinctini: sustentata funibus byssinis at-  
q; purpureis qui eburneis circulis in-  
serti erant et columnis marmoreis sul-  
tiebantur. Lectuli quoq; aurei et argē-  
tei super pauimentum smaragdino et  
pario stratum lapide dispositi erant:  
quod mira varietate pictura decorabat.  
Bibebant autem qui inuitati erant. au-  
reis poculis ei alijs atq; alijs vasis ci-  
bi inferebantur. Cinnum quoq; vt ma-  
gnificētia regia dignum erat abundās  
et precipuum ponebatur. Nec erat qui  
nolentes cogeret ad bibendum sed si-  
cut rex statuerat preponēs mensis sin-  
gulos de principibus suis vt sumeret  
vnusquisq; quod vellet. Vasthi quoq;  
regina fecit conuiuium feminarum in  
palatio vbi rex assuerus manere cōsue-  
uerat. Itaq; die septimo cum rex esset  
hilarior et post nimiam potionem inca-  
lisset mero: precepit maumam et ba-  
gatha et artona et bagatha et abgatha  
et carath 7 charchas septē eunuchis q̄  
in cōspectu eius ministrabāt vt intro-  
ducerēt reginā vasthi corā rege posito  
sup caput ei' diademate vt ostenderet

cunctis populis et principibus eius pul-  
critudine. Erat enim pulchra valde. Que  
renuit et ad regis imperium quod per  
eunuchos mandauerat venire precepit  
Unde iratus rex et nimio furore suc-  
census interrogauit sapientes qui ex mo-  
re regio semper ei aderat et illorum faciebat  
cuncta consilio scientium leges ac iura ma-  
iorum: erat autem primi et primi charse-  
na et gethar et admatha et tharsis et ma-  
res et marsana et mamucha septem du-  
ces persarum atque medorum: qui videbant  
faciem regis et primi post eum residere  
soliti erant: cui sententie vasthi regina  
subiaceret que asueri regis imperium quod  
per eunuchos mandauerat facere noluis-  
set. Responditque mamucha audiente re-  
ge atque principibus. Non solum regem le-  
git regina vasthi: sed et omnes populos  
et principes qui sunt in cunctis prouin-  
cijs regis asueri. Egredietur enim ser-  
mo regine ad omnes mulieres ut con-  
temnant viros suos et dicant. Rex asue-  
rus iussit ut regina vasthi intraret ad  
eum et illa noluit: atque hoc exemplo omnes  
principum coniuges persarum atque me-  
dorum paruipendent imperia marito-  
rum. Unde regis iusta est indignatio  
Si tibi placet egredietur edictum a fa-  
cie tua et scribatur iuxta legem persarum atque  
medorum quam preteriri illicitum est  
ut nequaquam ultra vasthi ingrediatur ad  
regem: sed regnum illius altera quam me-  
lior est illa accipiat. Et hoc in omne quod la-  
tissimum est prouinciarum tuarum diuul-  
getur imperium: et cuncte uxores tam ma-  
iorum quam minorum deferant maritis suis  
honorem. Placuit consilium eius regi  
et principibus: fecitque iuxta consilium  
mamucha et misit epistolas ad vniuer-  
sas prouincias regni sui ut queque gens au-  
dire et legere poterat diuersis linguis  
et literis esse viros principes ac maiores  
in domibus suis et hoc per cunctos popu-  
los diuulgari.

II

h Is itaque gestis: postquam regis asue-  
ri indignatio deferbuerat: re-  
cordatus est vasthi que fecisset

vel que passa esset: dixeruntque pueri regis  
ac ministri eius. Querant regi puellas  
virgines ac speciosas et mittantur qui  
considerent per vniuersas prouincias puel-  
las speciosas et virgines et adducant  
eas ad ciuitatem susan. et tradet in do-  
mum seminarum sub manu egei eunu-  
chi qui est prepositus et custos mulierum  
regiarum et accipiant mundum mulie-  
brem et cetera ad usus necessaria. Et  
quecumque inter omnes oculos regis pla-  
cuerit: ipsa regnet pro vasthi. Placuit  
sermo regi: et ita ut suggesserant iussit  
fieri. Erat vir iudeus in susis ciuitate  
vocabulo mardocheus filius iair filij se-  
mei filij cis de stirpe gemini qui trans-  
latus fuerat de hierusalem eo tempore  
quo iechoniam regez iuda nabuchodonosor  
rex babilonis transfulerat qui fuit  
nutritus filie fratris sui de disse que al-  
tero nomine vocabatur hester et vtrum-  
que parentem amiserat pulchra nimis et  
decoza facie. Mortuusque patre eius ac ma-  
tre. mardocheus sibi eam adoptauit ut  
filiam: Cumque percrebruisset regis im-  
perium et iuxta mandatum illius multe  
pulchre virgines adducerentur susan et  
egeus traderetur eunuchus: hester quoque  
inter ceteras puellas ei tradita est: ut  
seruaret in numero seminarum. Que  
placuit ei et inuenit gratiam in conspe-  
ctu illius. Et precepit eunuchus ut acce-  
leraret mundum muliebrem et trade-  
ret ei partes suas et septem puellas spe-  
ciosissimas de domo regis et tam ipse  
quam pedissequas eius ornaret atque cole-  
ret. Que noluit indicare ei populum et  
patriam suam. Mardocheus enim pre-  
ceperat ei ut de hac re omnino retice-  
ret: qui deambulabat quotidie ante ve-  
stibulum domus in qua electe virgines  
seruabantur: curam agens salutis he-  
ster et scire volens quid ei acciderit. Cum  
autem venisset tempus singularum per  
ordines puellarum ut intrarent ad re-  
gem: expletis omnibus que ad cultum mu-  
liebrem pertinebant mensis duodecim  
vertebat ita dumtaxat ut sex mensibus

oleo ungerentur myrtino et alijs sex quibusdam pigmentis et aromatibus terentur. Ingressi etiam ad regem: quicquid postu-  
lassent ad ornatum pertinentes accipiebant et  
ut eis placuerat compositis: de trichina fe-  
minarum ad regis cubiculum transiebant.  
Et que intraverat vespere egrediebatur  
mane: atque inde in secundas edes deduce-  
bantur que sub manu sasagaci eunuchi es-  
sant qui concubinis regis preesidebat nec  
habebat potestatem ad regem ultra redeun-  
di nisi voluisset rex et eam venire iussisset  
ex nomine. Evoluta autem tempore per ordinem  
instabat dies que hester filia abihail fra-  
tris mardochei quam sibi adoptaverat in  
filiam dederat intrare ad regem. Que non  
quesivit mulierem cultum sed quecumque  
voluit egeus eunuchus custos virginum:  
hec ei ad ornatum dedit. Erat enim  
formosa valde et incredibili pulchritudi-  
ne: omnium oculis gratiosa et amabilis vi-  
debat. Ducta est itaque ad cubiculum re-  
gis assueri mense decimo qui vocatur the-  
beth septimo anno regni eius et adama-  
uit eam rex plus quam omnes mulieres: habuit  
et gratiam et misericordiam coram eo super omnes  
mulieres. et posuit diadema regni in ca-  
pite eius: fecitque eam regnare in loco vasthi.  
Et iussit convivium preparari per magnifi-  
cum cunctis principibus et servis suis per  
coniunctionem et nuptias hester. Et dedit  
requiem universis provinciis: ac dona lar-  
gitus est iuxta magnificentiam principalem.  
Cumque et secundo quererentur vir-  
gines et congregarentur: mardocheus ma-  
nebat ad ianuam regis: necdum perdidit  
hester patriam et populum suum iuxta mandatum  
eius. Quicquid enim ille percipiebat obser-  
vabat hester et ita cuncta faciebat ut eo  
tempore solita erat quo eam parvulum nutrie-  
bat. Eo igitur tempore quo mardocheus ad  
regis ianuam morabatur irati sunt baba-  
than et thares duo eunuchi regis que ia-  
nitores erant et in primo palatii limine  
residebant. volueruntque insurgere in re-  
gem et occidere eum. Quod mardocheum  
non latuit. Statimque nunciavit regine  
hester et illa regi ex nomine mardochei

qui ad se rem ventilerat. Quersum est et  
invenitum et appensus est uterque eorum  
in patibulo. Et iussit rex ut in libro me-  
moriali scriberetur: ut pro vita sua aliquid res-  
ponderet ei. Mandatumque est historiis et  
annalibus traditum coram rege. **III**

Est hec rex assuerus exaltavit  
per aman filium amadathi que erat de  
stirpe agag. et posuit solium eius  
super omnes principes que habebat. Cuncti  
que servi regis qui in foribus palatii ver-  
sabantur flectebant genua et adorabant  
aman. Sic enim preceperat eis imperator.  
Solum mardocheus non flectebat genu  
neque adorabat eum. Cui dixerunt pueri  
regis qui ad fores palatii residebant.  
Cur preter ceteros non observas man-  
datum regis. Cumque hoc crebrius dice-  
rent et ille nollet audire: nunciaverunt  
aman scire cupientes utrum perseveraret  
in sententia. Dixerat enim eis se esse ius-  
teum. Quod cum audivisset aman et  
experimento probasset que mardocheus  
non sibi flecteret genu nec se adoraret  
iratus est valde et pro nihilo duxit in vi-  
num mardocheum mittere manus suas  
audierat enim que esset gentis iudee.  
magisque voluit omnem iudeorum qui es-  
sant in regno assueri perdere nationem.  
Mense primo cuius vocabulum est ni-  
san anno duodecimo regni assueri mis-  
sa est soror in vrbem que hebraice dicitur  
phur coram Aman quo die et quo  
mense gens iudeorum deberet interfici.  
et exiit mensis duodecimus qui vo-  
catur adar. Dixitque amas assuero. Est po-  
pulus per omnes provincias regni tui  
dispersus et a se mutuo separatus no-  
uis utrens legibus et ceremoniis insu-  
per et regis scita contemnens. Et opti-  
me nosti que non expediat regno tuo ut  
insolescat per licentiam. Si tibi placet  
decerne ut pereat. et decem milia talen-  
torum appendam arcarii gace tue.  
Tulit ergo rex anulum quo utebatur  
de manu sua: et dedit eum Aman filio  
Amadathi de progenie Agag hostis ius-  
deorum. Dixitque ad eum.

Argentū qđ tu polliceris tuū fit: te po-  
pulo age qđ tibi placet. Vocatiq; sunt  
scribe regis mēse primo nisan tertie de-  
cima die eiusdē mēsis. et scriptuz est vt  
iusserat aman ad oēs sāt rapas regis. 7  
iudices. primaz diuersarūq; gentiū: vt  
q; gens legere poterat et audire p va-  
rietate linguarū ex nomie regis asueri  
et lēe signate ipi anulo misse sunt per  
cursores regis ad vniuersas puincias  
vt occiderent atq; delerēt oēs iudeos a  
a puero vsq; ad senē. puulos 7 mulieres  
vno die. hoc ē tercio decimo mēsis duo-  
decimi qui vocat adar. et bona eoz diri-  
peret. Sūma autē epistolarū hęc fuit:  
vt oēs puincie scirent et pararēt se ad  
pdictā diē. Festinabāt cursores q; missi  
erāt regis imperiū explere. Statimq;  
in susis pepedit edictū: rege et amā ce-  
lebrāte cōiuiū. et cūctisq; iudeis q; in  
vrbē erāt flentibus.

### III

Cum audisset mardocheus.

q; scidit vestimēta sua. et indutus  
est sacco: spargēs cinerē capiti  
et in platea medie ciuitat; voce magna  
clamabat ostēdēs amaritudinē animi  
sui: et hoc eiularū vsq; ad fores palatij  
gradiēs. Nō eī erat licitū indutū sacco  
aulā regis intrare. In oibus q; puin-  
cijs oppidis ac locis ad q; crudele regis  
dogma peruenerat. planctus ingens e-  
rat apud iudeos ieiuniū. plulatus 7 fle-  
tus sacco et cinere multis p stratu vtē-  
tib;. Ingressē aut sunt puelle hester et  
eunuchi nunciauerūtq; ei. Qđ audiēs  
consternata est. et veste misit vt ablato  
sacco indueret eā. Quā accipe noluit.  
Accitoq; athach eunuchū quē rex mini-  
strū ei dederat pcepit vt iret ad mardo-  
cheum et disceret ab eo cū hoc faceret  
Egressusq; athach iuit ad mardocheū:  
et inuenit eū stantē i platea ciuitat; aī  
ostij palatij. Qui indicauit ei oia q; ac-  
ciderāt quō amā pmisisset vt in thesau-  
ros regis pro iudeozū nece in ferret ar-  
gentū. exemplar q; edicti qđ pendebat  
i susis dedit ei vt regine oīderet 7 mo-  
neret eā vt intraret ad regē 7 deprecēf

eum p populo suo. Regressus athach  
nūciauit hester oia q; mardocheus dix-  
erat. Que respōdit ei et iussit vt diceret  
mardocheo. Qēs serui regis et cūcte q;  
sub ditione eius sunt nozūt puincie q;  
siue vir siue mulier nō vocat? interius  
atriū regis intrauerit: absq; vlla cūcta-  
tōne statim interficiat. nisi forte rex au-  
ream virgā ad eū tetēderit. p signo cle-  
mentie. atq; ita possit viuere. Ego igit;  
quō ad regez intrare potero. q; triginta  
iam dieb; non sum vocata ad eū. Qđ  
cū audisset mardocheus. rursū man-  
dauit hester dicens. Ne putes q; aiām  
tuā tm̄ liberes: q; in domo regis es pre-  
cūctis iudeis. Si enī nūc silueris per  
aliā occasionē liberabunt iudei et tu et  
domus patris tui pibitis. Et quis no-  
uit vtrū idcirco ad regnū venis: vt in  
tali tpe parareris? Rursūq; hester h  
mardocheo verba mandauit. Glade et  
cōgrega oēs iudeos quos in susis repe-  
reris 7 orate p me. Nō comedetis 7 nō  
bibetis trib; dieb; et tribus noctib;. et  
ego cū ancillulis meis similiter ieiuna-  
bo: et tūc ingrediar ad regē ptra legē sa-  
ciēs nō vocata: tradēs q; me morti 7 pi-  
culo. Fuit itaq; mardocheus 7 fecit oia  
que hester pceperat.

### V

Je aut tertio induta est hester  
d; regalib; vestimētis et stetit in  
atrio dom; regie qđ erat interi-  
us cōtra basilicā regis. At ille sedebat  
sup solij suū in cōsistorio palatij cōtra  
ostij domus. Cūq; vidisset hester re-  
ginam stantē placuit oculis eius et ex-  
tendit cōtra eam virgā aureā quā tene-  
bat manu. Que accedens osculata est  
summitatē virge eius: dixitq; ad eā rex  
Quid vis hester regina? Que ē petitio  
tua? Etiā si dimidiā partē regni petie-  
ris dabis tibi. At illa rñdit. Si regi pla-  
cet obsecro vt venias ad me hodie et a-  
man tecū ad cōiuiū qđ parauit. Sta-  
timq; rex vocate inqt cito aman vt he-  
ster obediat volūtati. Cenerūt itaq; rex  
et aman ad cōiuiū qđ eis regina pau-  
erat. Dixitq; ei rex postq; vinum biberat

abundanter. Quid petis vt detur tibi: et pro qua re postulas? Etiam si dimidia pte regni mei petieris impetrabis. Cui rñdit hester. Petitio mea et pces sunt iste. Si inueni in cōspectu regis gratiā si regi placet vt det mihi qd postulo 7 meā impleat petitiōz. Veniat rex et amā ad cōuiuiū qd parauit eis 7 cras aperitiā regi voluntatē meā. Egressus ē itaq; illo die amā letus 7 alacer. Cūq; vidisset mardocheū sedentem ante fores palatiū 7 nō solū nō assurrexisse sibi sed nec motū quidem de loco sessionis sue indignatus est valde 7 dissimulata ira reuersus in domuz suā puocauit ad se amicos suos 7 cates vxorē suā 7 exposuit illis magnitudinē diuitiarū suarū filiorūq; turbā et q̄ta eū gloria sup oēs p̄cipes 7 seruos suos rex eleuasset. Et post hec ait. Regina q̄z hester nullū aliū vocauit ad cōuiuiū cū rege p̄ter me: apud quā etiā cras cū rege p̄sūsum. Et cū hec oīa habeā nihil me habere putō q̄diu videro mardocheū iudeū sedētē ante fores regias. Responderūtq; ei cates vxor ei' et ceteri amici. Iube parari excelsam trabē hñtem altitudinis quinquaginta cubitos 7 dic mane regi vt appendat sup eā mardocheus 7 sic ibis cū rege letus ad cōuiuiū. Placuitq; ei cōsiliū 7 iussit excelsaz p̄parari crucem.

Octē illā durit rex VI

n infomnem: iussitq; sibi afferri historias 7 annales priorū tporū. Que cum illo p̄sente legerent: ventus est ad illū locū vbi scriptū erat quō nūciasset mardocheus infidias bagathan et thares eunuchoz: regū asuerū iugulare cupientiu. Quō cū audisset rex ait. Quid p hac fide honoris ac p̄mij mardocheus cōsecutus est? Dixerūt ei serui illi' ac ministri. Nihil oīno mercedis accepit. Statimq; rex. q̄s est inqt in atrio? Aman quippe interi' atriu dom' regie intrauerat vt suggereret regi. 7 iuberet mardocheum affigi patibulo qd ei fuerat p̄paratū. Respondeēt pueri. Amā stat i atrio. Dixitq; rex: ingrediat. Cūq;

esset ingressus ait illi. Quid debet fieri viro quē rex honorare desiderat? Cogitans autē in corde suo aman et reputas qd nullū aliū rex nisi se vellet honorare: rñdit. Homo quē rex honorare cupit debet indui vestibz regijs. et imponi sup equū qd de sella regis est. et accipe regiu diadema sup caput suū. et prim' de regijs p̄ncipibz ac tyrānis teneat equū eius 7 p plateā ciuitatis incedens clamet et dicat. Sic honorabit quemcūq; rex voluerit honorare. Dixitq; ei rex. Festina 7 sumpta stola 7 equo fac vt locutus es mardocheo iudeo qd sedet ante fores palatiū. Caue ne quiescās de his qd locutus es pretermittas. Cui itaq; aman stolā et equū indutūq; mardocheum in platea ciuitatis: et impositū eq̄ precedebat atq; clamabat. Hoc honore cōdignus est quemcūq; rex voluerit honorare. Reuersusq; est mardocheus ad ianuam palatiū 7 amā festinauit ire in domū suam lugens 7 operto capite: narrauitq; cates vxori sue et amicis oīa qd enentissent sibi. Cui responderūt sapiētes quos habebat in cōsilio et vxor ei'. Si de seie iudeoz est mardocheus ante quē cadere cepisti. nō poteris ei resistere sed cades in cōspectu eius. Adhuc illis loquētibus venerūt eunuchi regis et cito eū ad cōuiuiū quod regina parauerat p̄gere cōpulerūt.

VII

Attrauit itaq; rex 7 aman vt biberent cū regina. Dixitq; ei rex etiā secūda die postq; vino incaluerat. Que est petitio tua hester vt det tibi 7 qd vis fieri? Etia si dimidiaz pte regni mei petieris impetrabis. Ad quē illa rñdit. Si inueni grāz in oculis tuis o rex 7 si placet dona mihi animaz meā p qua rogo pplm meū p quo obsecro. Traditi enī sumus ego et pls meus vt p̄teramur iugulemur 7 p̄eamus. Atq; vrinā in seruos et famulas vendemur essz tolerabile malūz gemēs tacerem: nunc autez hostis noster est cuius credulitas redundat in regem. Respondēs rex asuerus ait. Quis est iste

et cuius potentie vt hęc audeat facere?  
Dixitq; hester. Hostis et inimic' nē pes-  
simus iste est aman. Qd̄ ille audiens  
ilico obstupuit: vultū regis ac regie fer-  
re nō sustinens. Rex autē irat' surrexit  
et de loco quuij intrauit in hortū arbori-  
bus confitū. Aman q̄ surrexit vt ro-  
garet hester reginā p̄ aia sua: intellexit  
enī a rege sibi paratū malū. Qui cū re-  
uerlus esset de horto nemorib; cōfiteo et  
intraisset quuij locū repperit amā sup-  
lectū corruisse in q̄ iacebat hester et ait.  
Etia reginā vult opprimere me p̄nte ī  
domo mea. Nec dū verbū de ore regis  
exierat et statī opuerūt faciē ei'. Dixitq;  
arboria vnus de eunuchis q̄ stabant in  
ministerio regis. En lignū qd̄ parauerat  
mardocheo q̄ locutus est p̄ rege stat  
in domo aman hñs altitudis quinquā-  
ginta cubitos. Qui dixit rex. Appendi-  
te eū in eo. Suspēsus est itaq; amā in  
patibulo qd̄ parauerat mardocheo et re-  
gis ira quieuit.

**VIII**  
Illa dedit rex asuerus hester  
regine domū aman aduersarij  
iudeoz. et mardoche' ingressus  
est ante faciē regis. Cōfessa est enī ei he-  
ster q̄ esset patruus su'. Tulitq; rex a-  
nultū quē ab aman recipi iusserat et tra-  
didit mardocheo. Hester autē cōstituit  
mardocheū sup domū suā. Nec his con-  
tenta p̄cidit ad pedes regis: fleuitq; et  
locuta ad eū orauit vt malitiā amā aga-  
gite et machinatōes ei' pessimas q̄s ex-  
cogitauerat p̄ra iudeos iuberet irritas  
feri. At ille ex moze sceptrū aureū p̄re-  
dit manu q̄ signū clemētie mōstrabat.  
Illaq; p̄surgēs stetit ante eū et ait. Si  
placet regi et si inueni ḡtaz in oculis ei'  
et de p̄catio mea nō eroides esse p̄ria. ob-  
obsecro vt nouis eplis veteres amā l̄e  
insidiatoris et hostis iudeoz q̄b; eos in-  
cunctis regis puintijs perire p̄ceperat  
corrigāf. quō enī potero sustinere nece;  
et interfectōz populi mei. R̄nditq; rex  
asuerus hester regie et mardocheo iudeo  
domū amā p̄cessi hester regine et ipm  
iussi affigi cruci. qz ausus ē manū mit-

tere in iudeos. Scribite ergo iudeis si-  
cut vobis placet ex regis noie: signātes  
l̄as anulo meo. Nec enī cōsuetudo e-  
rat vt eplis q̄ ex regis noie mittebant  
et illius anulo signate erāt nemo aude-  
ret p̄radicere. Accitisq; scribis et libra-  
rijs regis. erat autē tps terciū mēsis qui  
appellat̄ siban. viceſima et terciā illius  
die scripte sunt eplē vt mardoche' vo-  
luerat ad iudeos et ad p̄cipēs p̄curato-  
resq; et iudices. q̄ centū viginti septē p̄-  
uincijs ab india vsq; ethiopiā p̄fidebāt  
puincie atq; puincie p̄lo et populo iu-  
sta linguas et l̄as suas. et iudeis: put  
legere poterāt et audire. Ipeq; epistole  
q̄ regis noie mittebant anulo illius ob-  
signate sunt et misse p̄ veredarios q̄ p̄  
oēs puincias discurretes. veteres l̄as  
nouis nūcijs p̄uenirēt. Quibus impe-  
rauit rex vt cōuenirent iudeos p̄ singu-  
las ciuitates et in vnū p̄ciperēt agre-  
gari vt starent p̄ aiabus suis et omnes  
inimicos suos cū cōiugib; ac liberis et  
vniuersis domib; interficerēt atq; dele-  
rent. Et cōstitutā ē p̄ oēs puincias vna  
vltōis dies. i. terciadecima die mensis  
duodecimi adar. Sūmaq; eplē hęc fuit  
vt oib; terris ac pplis qui regis asueri  
subiacebāt imperio notū fieret paratos  
esse iudeos ad capiendā vindictā de ho-  
stibus suis. Egredisq; sunt veredarij ce-  
leres nūcios p̄ferētes. et edictū regis pe-  
pendit in susis. Mardocheus autē de pa-  
latio et de cōspectu regis egrediēs ful-  
gebat vestib; regijs hiacinthinis vicz et  
aerinis coronā aureā portans in capi-  
te et amictus serico pallio atq; purpu-  
reo. Omnis ciuitas exultauit atq; leta-  
ta est. Iudeis autē noua lux oziri visa ē  
gaudiū honoz et trepidiū. Apud oēs  
populos vrbes atq; puincias quocūq;  
regis p̄cepta veniebant mira exulta-  
tio epule atq; conuiuia et festus dies.  
intantum vt plures alterius gentis et  
secte eoz; religioni et cerimonijs iun-  
gerentur. Grandis enī cunctos iudai-  
ci nois terroz inuaserat.

Sicut duodecimi mensis quē  
 i adar vocari ante iam diximus  
 terciadecima die quā cūctis iu-  
 deis interfectio pabatur. et hostes eorum in-  
 hiabant sanguini versapice superiores iu-  
 dei esse ceperunt et se de aduerarijs vin-  
 dicare. Cōgregatiq; sunt p singulas ci-  
 uitates et oppida et loca: vt extenderēt  
 manū contra inimicos et psecutores suos  
 Nullusq; ausus ē resistere eo quod oēs po-  
 pulos magnitudinis eorum formido pene-  
 traret. Nā et puinciarū iudices duces et  
 pcuratores. oīsq; dignitas quā singulis lo-  
 cis et opib; perat: extollebat iudeos ti-  
 more in iudocxi quē principē esse pala-  
 tij et plurimā posse cognouerāt. Fama  
 q; nois ei? crescebat quā die et p cunctoꝝ  
 orauoluitabat. Itaq; pcesserūt iudei in-  
 imicos suos plaga magna et occiderūt  
 eos reddētes eis quod sibi pauerat face-  
 re: intm vt etiā in iusis quingētos vi-  
 ros interneret extra decē filios aman  
 a zagite hostis iudeoꝝ. Quorū ista sunt  
 noia: pharsandathan et delphon et elpa-  
 ta et phorata et adalia et aridatha et ephre-  
 mesca arisai et aridai et vasatha. Quos  
 cum occidissent: pias de substantijs eo-  
 rū agere noluerūt. Statimq; numerus  
 eorum quod occisi erāt in iusis ad regē relat<sup>9</sup>  
 est. Qui dixit regine. In vrbe iusis in-  
 terfecerūt iudei quingētos viros et alios  
 decē filios amā. Quantā putas eos ex-  
 ercere cedē vniuersis puincijs. Quid  
 vltra postulas et quid vis vt fieri iubeā  
 Cui illa rēdit. Si regi placet de pias  
 iudeis vt sicut fecerūt hodie in iusis sic  
 et cras faciāt. et decē filij aman in pati-  
 bulis suspendant. Precepit rex vt ita  
 fieret. Statimq; in iusis pepēdit edictū  
 et decē filij amā suspensi sunt. Cōgre-  
 gatis iudeis quattadecima die mensis  
 adar interfecti sunt in iusis trecēti vi-  
 ri. nec eorum ab illis direpta substantia est.  
 sed p oēs puincias quā ditioni regis sub-  
 iacebant. p aiab; suis steterūt iudei. inter-  
 fectis hostib; ac psecutorib; suis intm  
 vt septuagintaquinq; milia occisoꝝ im-  
 plerent: et nullus de substantijs eorum

quicq; cōtingeret. Dies autē terciusde-  
 cimus mensis adar vnus apud oēs in-  
 terfe: tōnis fuit et quattadecima die ce-  
 dere desierūt. quē pstituerūt esse solen-  
 ne vt in eo tpe deinceps vacarēt epul-  
 gaudia atq; cōmunijs. At hi quod in vrbe iu-  
 sis cedere exercuerāt terciodecimo et  
 quattodecimo die eiusdē mēsis i cede  
 versati sunt: quattodecimo autē die pce-  
 tere desierūt. Et idcirco eundē die psti-  
 tuerūt solennē epulaz atq; leticie. Hi  
 vero iudei quod in oppidis nō muratis ac  
 villis morabant. quattumdecimū diē  
 mēsis adar cōmuniōꝝ et gaudij de creue-  
 rūt: ita vt exultēt i eo et mittāt sibi mu-  
 tuo pres epulaz et ciboz. Scripsit itaq;  
 q; mardoche? oia hec et lris cōpresensa  
 misit ad iudeos quod in oībo regis prouin-  
 cijs morabant tā de vicino positis q; p-  
 cul vt quattadecimā et quattamdecimā  
 diē mēsis adar. p festis susciperēt. et re-  
 uertente sp anno solēni celebrarēt ho-  
 noꝝ: quod in ipis dieb; se vlti sunt iudei  
 de inimicis suis: et luct<sup>9</sup> atq; tristitia in  
 hilaritatē gaudiūq; cōuerfi sunt essent  
 q; dies iste epularū atq; leticie et mte-  
 terēt sibi inuicē ciboz pres. et pauperib;  
 manuscula largirent. Susceperuntq;  
 iudei in solennē ritū cūcta quod eo tpe fa-  
 cere cepant et quod mardocheus lris faciē-  
 da mādauerat. Amā enī huius amada-  
 thi stirpis agag hostis et aduerfarius iu-  
 deoꝝ cogitauit eos malū vt occideret  
 illos atq; deleret. et misit phur quod nra  
 lingua vertit in sortē. et postea ingressa  
 est hester ad regē obsecrēs vt conatus  
 ei? lris regis irriti fierēt. et malū quod cō-  
 tra iudeos cogitauerat reuertet in ca-  
 put eius. Deniq; et ipm et filios eius  
 affixerunt cruci: atq; ex illo tpe dies isti  
 appellati sunt phurim. i. sortium. eo quod  
 phur. i. fors in vnam missa fuerit. Et  
 cūcta quod gesta sunt eple. i. libri huius vo-  
 lumine cōtinent: queq; sustinuerūt et  
 quod deinceps immutata sunt susceperūt  
 iudei sup se et semē suū. et sup cūctos quod  
 religioni eorum voluerūt copulari vt nul-  
 li liceat duos hos dies absq; solēnitare

transfigere quos scriptura testat. et cetera  
ra expectant tpa annis sibi iugiter succe  
dentibus. Isti sunt dies quos nulla vnq̄  
delebit obliuioꝝ p̄ singulas generatiōes  
cūcte in toto orbe p̄uincie celebrabūt.  
nec est vlla ciuitas in qua dies plurim  
id est sortiuū nō obseruent a iudeis et ab  
eorū progenie q̄ his ceremonijs obliga  
ta ē. Scripseruntq̄ hester regina filia ab  
iabil et mardocheus iudeꝝ etiā scđaz epi  
stolā vt om̄i studio dies ista solēnis san  
ci ret̄ in posterū. Et miserūt ad omnes  
iudeos. qui in centū viginti septē prouī  
cijs regis asueri versaban̄ vt haberent  
pacē et suscipent veritatē obseruātes di  
es sortiuū. et iuo tpe cū gaudio celebrat̄  
sicut constituerat mardocheus et hester  
Et illi obseruāda suscepē: a se et a semie  
suo ieiunia atq̄ clamores et sortiuū dies.  
et omnia q̄ libri huius qui vocat̄ hester  
historia continentur. X

**E**t vero asuerus omnē terram  
et cūctas maris insulas fecit tri  
butarias: cuius fortitudo et imperiū et  
dignitas atq̄ sublimitas qua exaltauit  
mardocheū scripta sunt in libris medo  
rū atq̄ psarū et quō mardocheus iudaici  
generis secundus a rege asuero fuerit et  
magnꝝ apud iudeos et acceptabilis plebi  
fratrum suorū: q̄rēs bona populo suo et  
loquēs ea q̄ ad pacē seminis suscipere  
rent. Que habent̄ in hebreo plena fide  
expressi. hec autē que sequuntur scripta  
reperi in editiōe vulgata q̄ grecorū lin  
gua et lris continentur et interim post fi  
nē libri hoc caplm̄ ferebat qđ iuxta p̄sue  
tudinē nr̄am obelo. i. vrū p̄notauimꝝ

**D**ixitq̄ mardocheꝝ. A deo facta sunt  
ista. Recordatus suꝝ somnij qđ viderā  
hec eadē significāns: nec eorū quitq̄ irri  
tū sunt. Barū fons qui creuit i fluuiū  
et in lucē solēq̄ cōuersus est et i aq̄s plu  
rimas redundauit: hester ē quā rex acce  
pit vxorē et voluit esse reginā. Duo autē  
dracones. ego sum et aman. Gentes q̄  
cōuenerant hi sunt qui conati sunt dele  
re nomē iudeorū. Gens autē mea israel ē  
que clamauit ad dñm et saluū fecit pplm̄

suū liberauitq̄ nos ab oibꝝ malis et fecit  
signa magna atq̄ portēta inter gētes et  
duas sortes esse p̄cepit vnā ppli dei et al  
terā cūctaz gentiū. Cleitq̄ vtrazq̄ sortē  
in statutū ex illo iā tpe corā deo vnuer  
sis gentibꝝ et recordat̄ est dñs ppli sui  
ac misert̄ hereditatis sue. Et obserua  
bunt dies uite i mese adar. q̄rtadecima  
et quintadecia die eiūsdē mēsis cū oī  
studio et gaudio in vnū cetū ppli agre  
gati in cunctas deinceps generatiōes  
populi israel.

XI

**A**nno q̄rto regnātibꝝ ptolomeo  
a et cleopatra. attulerūt dñs hester  
q̄ se sacerdotē et leuitici generis  
ferebat. et ptolomeꝝ filius eiꝝ hanc eplaz  
phurim quā dixerūt interpretatā esse  
lymācū ptolomei filiū in hierusalem.  
Hoc q̄s p̄ncipiū erat in editiōe vulga  
ra qđ nec in hebreo nec apud vllū ferē  
interpretū. Anno scđo regnāte artax  
erxe mario prima die mēsis nisan vidit  
somnia mardocheus filij iaxeri filij se  
mei. filij cis de tribu beniamin. hō iude  
us q̄ habitabat in vrbe susis vir magnꝝ  
et inter primos aule regie. Erat autē de  
eo nūero captiuorū q̄s transfulerat na  
buchodonosor rex babilonis de hierlm̄  
cū iechonia rege iuda. et hoc eiꝝ somniū  
fuit. Apparuerūt voces et tumultus to  
nitrua et terremotꝝ et p̄turbatio sup ter  
rā. et ecce duo dracones magni paratiq̄  
h̄ se in p̄eliū ad quorū clamorē cūcte cō  
citate sunt narōes vt pugnaret̄ h̄ gentē  
iustorū. Fuitq̄ dies illa tenebrarū et dis  
criminis et tribulatiōis et angustie et in  
gens formido sup terrā. Cōturbataq̄  
est gens iustorū timentū mala sua. et p̄  
parata ad mortē. Clamauerūtq̄ ad de  
um. et illis vociferantibꝝ fons paruus  
creuit in fluuiū maximū. et in aquas  
plurimas redundauit. Lux et sol ortus  
est et humiles exaltati sunt et deuota  
uerunt inclytos. Quod cum vidisset  
mardocheus et surgerisset de stratu cogi  
tabat qđ deus facere vellet et firmū ha  
bebat in animo scire cupiēs quid signifi  
icaret somnium.

XII



# Hester

**M**orabat autē eo tpe in aula regi-  
 m gis cū bagatha et thara eunu-  
 chis regis q̄ ianitores erāt pa-  
 latij. Cūq̄ intellexisset cogitatōes eoz  
 et curas diligētē? puidisset: didicit q̄ co-  
 narent in regē artaxerxē manus mitte-  
 re. 7 nūciauit sup eo regi. Qui de vtro-  
 q̄ habita q̄stione cōfessos iussit addu-  
 ci ad morte. Rex autē qd̄ gestū erat scri-  
 psit in cōmentarijs. Sed 7 mardoche-  
 ra memoria lēis tradidit. Precepitq̄  
 ei rex vt in aula palatij moraret̄ datus  
 ei p̄ relatione muneribz. Amā vero fi-  
 lius amadathi bageus erat gloriosissi-  
 mus corā rege. et voluit nocere mardo-  
 cheo 7 p̄lo eius p̄ duobz eunuchis re-  
 gis q̄ fuerāt interfecti. Ducusq̄ p̄xi-  
 um: q̄ sequunt̄ in eo loco posita erant  
 vbi scriptū est in volumine. Et diripue-  
 rūt bona vel substātiās eoz. Que in so-  
 la vulgata editōe repperimus. Episto-  
 le autē hoc exemplar fuit.

XIII

**E**t maximus artaxerxes ab in-  
 dia vsq̄ ethiopiā centū viginti  
 septē puinciaz: principibz 7 du-  
 cibus q̄ eius impio subiecti sunt salutē  
 Cū plurimis genibz impire. 7 vniū suz  
 orbem mee ditioni subiugassē: volui  
 nequaq̄ abuti potētie magnitudine s̄  
 clementia et lenitate gubernare subie-  
 ctos: vt absq̄ vllō terroze vitaz silētio  
 trāsīgētes optata cūctis mortalibz pa-  
 ce fruerētur. Querēte autē me a cōsilia-  
 rijs meis quō posset hoc impleri: vnus  
 q̄ sapiētia et fide ceteros precellebat. et  
 erat post regē secund⁹ aman noie indi-  
 cauit mihi in toto orbe terraz pplm eē  
 dispsum q̄ nouis vtterē legibz. 7 n̄ oīm  
 gentiū psuetudinē faciēs regū iussa cō-  
 tēneret. et vniuersaz p̄cordiā nationū  
 sua diffensione violaret. Quō didicisse-  
 mus videntes vnā gentē rebellē aduer-  
 sus oī hōim genus pueris vti legibz.  
 nēitq̄ iussionibz cōtraire 7 turbare sub-  
 iectarū nobis puinciarū pacē atq̄ p̄cor-  
 diā. iussim⁹ vt quoscūq̄ aman qui oibz  
 puincijs p̄positus est. et secundus a re-  
 ge. et quē patris loco colimus mōstra-

uerit. cū cōiugibz ac liberis delectant̄ ab  
 inimicis suis. nullusq̄ eoz misereat̄ q̄r  
 radecima die duodecimi mensis adar  
 anni p̄ntis vt nepharij hōies vno die  
 ad inferos descendentes reddāt impe-  
 rio n̄ro pacē quā turbauerāt. Hucusq̄  
 exemplar ep̄le. Que sequuntur post  
 eum locum scripta repperi. vbi legitur  
 Bergēlq̄ mardocheus fecit oīa que ei  
 mādauerat hester: nec tñ habet̄ i hebrau-  
 co 7 apud nullū penit⁹ ferunt̄ interpre-  
 tū. Mardoche⁹ autē deprecatur est dñm  
 memor oīm opm eius: 7 dicit Dñe dñe  
 rex oīp̄rens. in ditione enī tua cuncta  
 sunt posita. et nō est q̄ posset tue resiste-  
 re voluntati: si decreueris saluare isrl.  
 Tu fecisti celū 7 terrā. 7 quicqd̄ celi am-  
 bitu cōtinet: dñs oīm es. nec est qui re-  
 sistat maiestati tue. Cūcta nosti et scis  
 qz nō p̄ supbia et cōtumelia et aliqua  
 glorie cupiditate fecerim hoc. vt n̄ ado-  
 rarem am̄i supbissimū. libenter enī p̄ sa-  
 lute israel etiā vestigia pedū ei⁹ deoscu-  
 lari parat⁹ essem: sed timui ne honorē  
 dei mei transferrē ad hōiem. et ne quē-  
 q̄ adorare: excepto deo meo. Et nūc do-  
 m̄: ne rex deus abraā. miserere ppli tui:  
 qz volūt nos inimici nostri p̄dere: et he-  
 reditatē tuā delere. Ne despicias partē  
 tuam quā redemisti de egypto. Et audi  
 deprecationē meā et ppitius esto forti  
 et funiculo tuo. et cōuerte luctū nostrū  
 in gaudiū. vt viuentes laudemus nos-  
 men tuū dñe. 7 ne claudas ora te canē-  
 tiū. Quis qz israel pari mēte 7 obsecra-  
 tōne clamauit ad dñm: eo q̄ eis certa  
 mors impenderet.

XIIII

**E**ster qz regina cōfugit ad to-  
 b minū: pauēs piculū qd̄ immi-  
 nebat. Cūq̄ deposuisset vestes  
 regias stetit et luctui apta indu mēta  
 suscepit. et p̄ vnguētis varijs cinere et  
 stercore impleuit caput. 7 corp⁹ suū hu-  
 miliavit ieiunijs: oīaq̄ loca in qbz an-  
 tea letari psueuerat. criniū laceratōne  
 p̄pleuit. Et deprecabatur dñm deū israel  
 dicēs. Dñe mi q̄ rex noster es solus ad  
 iuuā me solitariā 7 cui⁹ p̄ter te nullus

ff ij

est auxiliator alius. Periculus meus in  
manibus meis est. Audiui a patre meo  
quod tu domine tulisses israel de cunctis gentibus. et  
pres nos ex omnibus retro maioribus suis  
ut possideres hereditatem sempiternam  
fecisti eis sicut locutus es. Peccauimus  
in conspectu tuo. et idcirco tradidisti nos  
in manus inimicorum nostrorum. Coluimus enim  
deos eorum. Iustus es domine. Et nunc eis non  
sufficit quod durissima nos opprimunt ser-  
uitute: sed robur manuum suarum idolorum  
potentie deputantes volunt tua mutare. per  
missa. et delere hereditatem tuam et clau-  
dere ora laudantium te atque extinguere glo-  
riam templi et altaris tui. ut aperiatur ora gen-  
tium et laudent idolorum fortitudinem. et perdi-  
cant carnalem regem in sempiternum. Ne tra-  
das domine sceptrum tuum his qui non sunt. ne  
rideant ad ruinam nostram. sed uerte consilium  
eorum super eos: et eum qui in nos cepit seuire  
disperde. Memoro domine quoniam te nobis in  
tempore tribulationis nostre. et da mihi fiduciam  
rex deorum et uniuersae creaturae: tribue sermo-  
nem propositum in ore meo in conspectu leonis  
et transfer cor illi in odium hostis nostri. ut et  
ipse pereat et ceteri qui ei consentiunt. Nos  
autem libera in manu tua et adiuua me nul-  
lum alium auxilium habentem nisi te domine. qui habes  
omnem scientiam. et nosti quia oderim gloriam iniquam  
et detestor cubile incircumcisorum et omnes alie-  
nigene. Tu scis necessitatem meam quod atomi-  
ner signum superbie et glorie mee quod est super  
caput meum in diebus ostentationis mee. et de-  
testor illud quasi pannum menstruatum: et non  
portem in diebus filietatis mei: et quod non come-  
derim in mense aman. nec mihi placuerit  
potuium regis et non biberi uinum libaminum.  
et nunquam letata sit ancilla tua ex qua huc trans-  
lata sum usque in presentem diem: nisi in te domine deus  
abraam. Deus fortis super omnes exaudi uocem eorum  
qui nullam aliam spem habent. et libera nos de ma-  
nu iniquorum et erue me a timore meo. Nec  
quod addita repperi in editione uulgata. XV

Et mandauit ei haud dubium quoniam  
o hester mardocheus. ut ingrederetur  
ad regem: et rogaret pro populo suo et  
pro patria sua. Demorare inquit diebus huius  
litaris tue. quod nutrita sis in manu mea

quod amara secundus a rege locutus est contra  
nos in morte. et tu inuoca dominum. et loquere  
regi pro nobis et libera nos de morte. Nec  
non et illa qui subdita sunt: in editione uulga-  
ta repperi. Die autem tercio deposuit uelut  
meta ornatum sui et circumdata est gloria sua.  
Cumque regio fulgeret habitu et inuocasset  
omnem rectorem et saluatorem deum. assumpsit  
duas famulas. et super unam quodam inuicem  
tur quasi per delictis et nimia teneritudine  
corpore suum ferre non sustinens: altera autem  
famularum sequebatur dominam. de fluueta in hu-  
mum indumeta sustentas. Ipsa autem roseo  
colore uultum perfusa. et gratias ac nitentibus  
oculis triste celabat animam et nimio timore  
tractum. Ingressa igitur cuncta per ordines  
ostia. stetit in regem ubi ille residebat super  
solum regni sui induratum uelut regis au-  
roque fulgens et preciosis lapidibus. eratque ter-  
ribilis aspectu. Cum eleuasset faciem et ar-  
dentibus oculis furorem peccatoris indicasset: re-  
gina corruit et in pallore colore mutato  
lassus super ancillulam reclinauit caput. Quod  
uertitque deus spiritum regis in mansuetudinem et  
festinatum ac metuens exiuit de solio et suste-  
rans eam uoluis suis donec rediret ad se:  
his uerbis blandiebat. Quid habes hester  
Ego sum frater tuus: noli metuere. non  
morieris. Non enim pro te sed pro omnibus haec lex  
constituta est. Accede igitur et tange sceptrum  
Cumque illa reticeret tulit auream uirgam et  
posuit super collum eius. et osculatus est eam et  
ait. Cur mihi non loqueris. Que respondit  
Uidi te domine quasi angelum dei. et turbatum  
est cor meum pro timore glorie tue. Valde enim  
mirabilis es domine. et facies tua plena est gra-  
tiarum. Cumque loqueretur rursus corruit et pe-  
ne exanimata est. Rex autem turbabat et omnes  
ministri eius consolabantur eum. Exemplar  
epistole regis artaxerxis quam pro iudeis  
ad totas regni sui puincias misit: quod et  
ipsum in hebraico uolumine non habetur.

Et magnus artaxerxis XVI  
r ab india usque ethiopia centum  
gintiseptem puinciarum ducibus ac  
principibus qui nostre iussioni obediunt. sa-  
lutem dicit. Multi bonitate principum et  
honore qui in eo collati sunt et abusi sunt in

# Prologus

superbiā et nō solū subiectos regibz ni-  
tuntur opprimere: sed datā sibi gloriā  
nō ferētes: in ipsos qui de ierūt molū-  
tur insidias. Nec cōtenti sunt gratias  
nō agere bñficijs: et hūanitatē in se iu-  
ra violare: sed dei quod cūcta cernētis  
arbitrant se posse fugere sententiā. Et  
intm̄ relātie prouēit. ut eos q̄ credis-  
ta sibi officia diligēter obseruāt. et ita  
cūcta agūt ut oīm laude digni sint. mē-  
dacioꝝ cuniculis conent subuertere dī  
aures principū simplices ex sua natura  
alios etiā m̄ates. callida frau de recipiūt  
Que res et ex veteribz pbat̄ histoꝝ. et  
ex his q̄ gerunt̄ q̄tidie. quō malis q̄cun-  
dā suggestioibz regū studia deprauent̄  
Cū puidendū est paci oīm puinciarū  
Nec putare debens si diuersa iubeam̄  
ex animi n̄re uire leuitate: sed p̄ q̄lita-  
te et necessitate tpm̄: ut reipublice po-  
scit utilitas ferre iudiciū. Et ut manife-  
stius quō dicim̄ intelligatis. Amā fili  
amadathi. et aīo et gēte macedo. alien  
q̄ a psarū sanguine. et pietatē n̄am sua  
crudelitate p̄cumulās: pegrin̄ a nobis  
suscept̄ esset tantā in se exptus hūa-  
nitate ut p̄ noster uocaret̄. et adoraret̄  
ab oībz p̄t̄ regē secundā. q̄ intm̄ arro-  
gantie tumore sublat̄ est. ut regno pri-  
uare nos iuteret̄ et spiritu. Nā mardo-  
chū cui fide et beneficijs uiuim̄ et cō-  
fortē regni nostri hester. cū oī gē te su-  
nomis quibusdā atq̄ inauditis machi-  
nis experiuit in morte. hoc cogitans ut  
illis intersectis insidiaret̄ n̄re solitudi-  
ni. et regnū psarū trāfferet in mace-  
donas. Nos autē a pessimo mortalium  
iudeos neci destinatos. in nulla pe. n̄e  
culpa repperim̄. s̄ ecōtrario iustis utē-  
tes legibz. et filios altissimi et maximi  
semperq̄ uiuētis dei cui beneficio et pa-  
tribz n̄is et nobis regnū est traditū. et  
vsq̄ hodie custodit̄. Cū eas l̄as quas  
sub noīe n̄o ille dixerat sciatis esse irri-  
tas. Pro quo scelere anne portas hui  
urbis. i. susis: et ipse qui machinat̄ est  
et oīs cognatio eius pendet in patibz  
lis: nō nobis. sed deo reddēte ei quō me-

ruit. Hoc autē edictum quō nunc mitti-  
mus in cunctis urbibus proponatur ut li-  
ceat iudeis uti legibus suis. Quibus tebe-  
tis esse amminiculo ut eos qui se ad ne-  
cem eorum parauerāt possint interficere:  
terciadecima die mensis duodecimi qui  
uocat adar. Hanc enim diē deus omnipo-  
tēs memoris et luctus eius uertit in gau-  
diū. Cū et uos inter ceteros festos die-  
es hanc habetote diē et celebrate eam  
cū omni leticia: ut et in posterū cogno-  
scantur oēs qui fideliter p̄s̄is obediunt  
dignā p̄ fide recipere mercedē. qui autē  
insidiant̄ regno eorum: perire pro scelere.  
Dis autē puincia et ciuitas que nolue-  
rit solēnitatis huius esse particeps gla-  
dio et igne pereat. et sic delect̄ ut nō solū  
hoībz: sed etiā in uia bestijs sit in sempi-  
ternū p̄ exēplo p̄temp̄ et inobediētie.

Explicit liber hester. Incipit prologus  
in Job secundam translationem septuaginta

Quod per singulos scriptu-  
re diuine libros aduersa-  
riorū r̄ndere maledictis  
qui interpretationē meā  
reprehensionem septuas-  
ginta interpretū criminant̄: quasi nō  
apud grecos aquila symmachus et theo-  
dotion. uel uerbum e uel uel sensum e  
sensu. uel ex utroq̄ cōmixtū et medie tē-  
peratū genus translationis expresserint  
et omnia ueteris instrumenti columi-  
na. Quod genes obelis asteriscisq̄ distinx-  
erit: q̄s uel additos uel theodotione sum-  
ptos translationi antique inseruit pro-  
bans defuisse quod additū est. Dicāt  
igit obrectatores mei recipere in toto  
quod in partibus susceperūt. aut inter-  
pretationē meā cū asteriscis suis rade-  
re. Neq̄ enim fieri potest ut quos plura  
intermisisse susceperint nō eosdē etiā  
in quibusdā errasse fateant̄. p̄cipue in  
iob: cui si ea que sub asteriscis addita sunt  
subtraxeris pars maxima truncabi-  
tur. et hoc dumtaxat apud grecos. ceteris  
rum apud latinos ante eam transla-  
ff iij